

- a) Neque enim tempus nobis superest, eam inquisitionem ac collectionem instituendi. Et si maxime superesset, postulare rerum collectarum ordinatio ac explicatio adhuc longius temporis spatium, & sic loco disputationis integrum volumen essemus exhibitori.

§. III.

Concubinatus Hebræorum ante legem licitus.

Quod igitur Hebræos (a) attinet, ante omnia videndum, quomodo ante legem Mosaicam concubinatum consideraverint. Ubi nullum est dubium, inter matrimonium & concubinatum exiguam fuisse differentiam, cum & polygamia & divortia (b), imo etiam ipsi in nuptiarum concubitus extra matrimonium, vel libidinis vel mercedis causa, pro licitis fuerint habiti (c). Quare tunc concubinatus erat conjunctio facile dissolubilis maris etiam uxorem jam habentis (e) & fœminæ (f) absque affectione maritali (g) liberorum procreandorum causa (h).

- a) Primario hic utemur textibus Scripturæ Sacræ. Rabinorum tradita, quæ magna diligentia collegit Seldenus in libris partim *de Jure Nat. & Gent. sec. discipl. Hebr.* partim *de Uxore Hebraica & de Successionibus*, parum curabimus, sic tamen, ut ea non prorsus negligamus, quatenus videlicet rectæ rationi & Scripturæ Sacræ non repugnant.

- b) *Matrimonium ex jure, quod Ebræi vocant naturali, erat viri & fœminæ sive unius sive plurium fœminarum, tam ex concubinatu, quam ex consensu præeunte conjunctio, vite consuetudinem continens. Non adjicimus individuam, quod Christiani habemus in matrimonii definitione. Neque enim separari aut dividi nequibant*

con-